



# Doctrinae & Loci.

## Locus primus.

§. 17. Primus locus est de Atheismò, sive impietate qua dicit non esse DEUM. Quanquam enim ex notionibus humana menti insitis Rom. 1. v. 19. uti docet Damascenus lib. 1. de orth. fid. c. 1. & 3. & ex consideratione operum Dei in creatione & gubernatione totius universi, Macrocosmi & microcosmi Rom. 1. v. 20. Act. 14: v. 17. & 17. v. 17. multis constat argumentis Deum esse, negat tamen hoc impius, sed negat in corde. Quocumque autem neget modo sive planè ac plenè, sive dubitanter aut consequenter, ut de Diagora Meliò & Theodoro Cyrenaico Cicero, de Ephemere Thegeate, Plutarchus, de Protagora Eusebius annotant, semper digni fuerunt odio, reprehensione, animadversione: Apud Athenienses istiusmodi Athei plectebantur capite, testibus Iosepho lib. 2. contra Appion. Polluce lib. 10, cap. 24. Athenæo lib. 3. Valerio Maximo lib. 1. Proscripti verò sunt Theodorus, Diagoras, quem Augustinus lib. 3. contra lit. Petil. cap. 21, vocat atheum, Protagoras, & is quidem quod de Diis dubitaret, Socrates, quanquam ut plerique aestimant, innocenter, & ex instinctu athei & per fidi illius Poetastri, Aristophanis, quèd Deos negaret, cicutã bibere iussus est. Nos Deum esse scimus tũ ex libro natura, tũ ex librò Scripturæ, eumque ad pium D. Lutheri monitum super Gen. cap. 17. & 22. non querimus in predicamento substantiæ, ne à majestate opprimamur, sed in predicamento relationis, ut voluntatem ejus discamus è verbo ejus: summa delicti est nolle eum agnoscere, quem ignare non possis, inquiunt Cyprianus in tract. de vanit. Idol. & Tertull. in Apolog. cap. 17.

§. 18. De